

## Anhang.

*Erectionsbulle des ersten Apostol. Vicariats in Amerika,  
nach der Entdeckung durch Columbus.*

Mitgetheilt von P. de Roo.

---

Seit längerer Zeit bin ich im Besitze einer Abschrift des ersten päpstlichen Dokumentes, welches sich auf die Einführung des Christenthums in die neue Welt, nach deren Entdeckung durch Columbus, bezieht. Meine Absicht war zunächst, die Veröffentlichung bis zum kommenden Jahre zu verschieben, in welchem ich die Anfänge des Christenthums auf dem amerikanischen Festlande aktenmässig darzustellen hoffe; bei dem grossen Interesse jedoch, mit welchem man augenblicklich nach sichern Nachrichten und Zeugnissen forscht, die wenn auch nur mittelbar zu der Grossthat des Columbus in Beziehung stehen, glaubte ich den Lesern der Quartalschrift einen Dienst zu erweisen, wenn ich ihnen von einer Bulle Kenntniss gebe, welche an Wichtigkeit jener berühmten über die Demarkationslinie nicht nachsteht. Bis jetzt waren Tag und Datum der kanonischen Errichtung katholischer Missionen in Westindien noch unbekannt; Wadding und andere Gelehrte erörterten die Frage, welcher Orden den ersten apostolischen Vicar von Amerika, Bernard Boil, zu den Seinigen zählen dürfe; man war im Zweifel, ob Welt- oder Ordenspriester den wilden Stämmen auf Hispaniola und den benachbarten Inseln zuerst das Evangelium verkündet haben. Alle diese Fragen finden ihre Erledigung durch das folgende Dokument, welches zugleich einen der zahlreichen Beweise für den grossen Eifer enthält, mit welchem ein verleumdeter Papst für die Ausbreitung des wahren Glaubens und der Civilisation thätig war. Das Dokument steht im Vatik. Geheim-Archiv Reg. 777 f. 122.



*L. Podochatarus.* — Alexander etc. Dilecto filio Bernardo Boil, fratri ordinis Minorum, Vicario dicti ordinis in Hispaniarum regnis, Salutem etc.

Piis fidelium, praesertim Catholicorum regum et principum, votis, quae religionis propagationem divinique cultus augmentum et fidei Catholicae exaltationem ac animarum salutem respiciunt, libenter annuimus; eaque, quantum cum Deo possumus, favoribus prosequimur oportunis.

Cum itaque, sicut charissimus in Christo filius noster, Ferdinandus rex et charissima in Christo filia nostra, Elisabet regina, Castellae et Legionis, Aragonum et Granatae, illustres, Nobis nuper exponi fecerunt; ipsi fervore devotionis accensi, desiderantes quod fides Catholica in terris et insulis, per eos de novo, versus partes occidentales et mare Oceanum, repertis, antea aliis incognitis, ac aliis imposterum reperiendis, floreat et exaltetur; decreverunt te ad partes illas destinare, ut inibi, per te et alios presbyteros saeculares vel religiosos ad id idoneos et per te deputandos, verbum Dei praedicetis et seminetis, ac incolas et habitatores insularum et terrarum praedictarum, qui fidei nostrae cognitionem non habent, ad fidem ipsam ac religionem Christianam reducatis, et in mandatis Domini eos ambulare doceatis et instruatis;

Nos, sperantes quod ea, quae tibi duxerimus committenda, fideliter et diligenter exequeris, tibi, qui presbyter es, ad insulas et partes praedictas, etiam cum aliquibus sociis, tui vel alterius ordinis, per te aut eosdem regem et reginam eligendis, superiorum tuorum vel cujusvis alterius super hoc licentia minime requisita, accedendi et inibi, quamdiu volueris, commorandi; ac, per te vel alium seu alios ad id idoneos presbyteros, saeculares vel religiosos, ordinum quorumcumque, verbum Dei praedicandi et seminandi, dictosque incolas et habitatores ad fidem Catholicam reducendi eosque baptizandi, et in fide ipsa instruendi, ac ecclesiastica Sacramenta, quoties opus fuerit, ipsis ministrandi; ipsosque et eorum quemlibet, per te vel alium seu alios presbyteros saeculares vel religiosos, et in eorum confessionibus, etiam quoties opus fuerit, audiendi; illisque diligenter auditis, pro commissis per eos criminibus, excessibus et delictis, etiam si talia fuerint propter quae Sedes Apostolica quovis modo fuerit consulenda, de absolutionis debito providendi; eisque poenitentiam salutarem



injungendi; necnon vota quaecumque, per eos pro tempore emissa (Jerosolymitano, liminum Apostolorum Petri et Pauli, ac Sancti Jacobi in Compostella, et Religionis votis dumtaxat exceptis), in alia pietatis opera commutandi; ac quaecumque ecclesias, capellas, monasteria, domos, ordinum quorumcumque, etiam Mendicantium, tam virorum quam mulierum; et loca pia, cum campanilibus, campanis, claustris, dormitoriis, rectoriis, hortis, hortaliciis et aliis necessariis officinis, sine alterius praejudicio, erigendi, construendi et aedificandi; ac ordinum Mendicantium professoribus domos, quas pro eis construxeris et aedificaveris, recipiendi et perpetuo inhabitandi licentiam concedendi; dictasque ecclesias benedicendi et, quoties illas earumque coemeteria per effusionem sanguinis vel seminis aut alias violari contigerit, aqua prius per aliquem Catholicum antistitem (ut moris est) benedicta, reconciliandi; et etiam necessitatis tempore, super quo conscientias vestras oneramus, carnibus et aliis cibis, tibi et sociis tuis praedictis juxta regularia dictorum ordinum instituta prohibitis, libere et licite vescendi; omniaque alia et singula in praemissis et circa ea necessaria et quomodolibet oportuna faciendi, gerendi, exequendi et disponendi plenam, liberam et omnimodam, auctoritate apostolica et ex certa scientia, tenore praesentium, facultatem, licentiam, potestatem et auctoritatem concedimus pariter et elargimur.

Et insuper, ut Christi fideles eo liberius, devotionis causa, ad dictas terras et insulas confluant, quo suarum se speraverint salutem animarum adepturos; omnibus et singulis utriusque sexus fidelibus praedictis, qui ad praedictas terras et insulas se personaliter, de mandato tamen et voluntate regis et reginae praedictorum, contulerint; ut ipsi, et quilibet eorum, confessorem idoneum saecularem vel regularem eligere possint, qui eos, et eorum quemlibet, modo praemisso, ab eorum criminibus, peccatis et delictis, etiam dictae Sedi reservatis, absolvat, ac eorum vota etiam commutet; necnon omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, indulgentiam et remissionem ipsis, in sinceritate fidei, unitate Sanctae Romanae Ecclesiae ac obedientia et devotione nostra et successorum nostrorum, Romanorum Pontificum canonice intrantium persistentibus, semel in vita et semel in mortis articulo, auctoritate praefata, concedere valeat;



Necnon monasteriis, locis et domibus erigendis et aedificandis, ac monachis et fratribus in illis pro tempore degentibus; ut omnibus et singulis gratiis, privilegiis, libertatibus et exemptionibus, immunitatibus, indulgentiis et indultis, aliis monasteriis, locis, domibus, monachis et fratribus ordinum, quorum illa et illi fuerint, in genere concessis et concedendis imposterum, uti, potiri et gaudere libere et licite valeant, auctoritate praefata, de speciali dono gratiae, indulgemus.

Non obstantibus fe. re. Bonifacii PP. VIII. praedecessoris nostri, et, ne quis ordinum Mendicantium fratres nova loca recipere praesumant, absque dictae Sedis licentia speciali, de prohibitione hujusmodi plenam et expressam mentionem faciente; et aliis apostolicis constitutionibus, statutis quoque et consuetudinibus dictorum ordinum, juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis; quamquam tu de personis in ecclesiastica dignitate constitutis, quibus literae apostolicae dirigi debent, non existas; caeterisque contrariis quibuscumque.

Verum, quia difficile foret praesentes literas ad singula quaeque loca, in quibus expediens fuerit, deferre; volumus et dicta auctoritate decernimus, quod illarum transsumptis, manu publici notarii inde rogati subscriptis et sigillo alicujus personae ecclesiasticae in dignitate constitutae seu curiae ecclesiasticae munitis, ea prorsus fides indubia, in judicio et extra ac alias ubilibet, adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo etc. nostrae concessionis, elargitionis, indulti, voluntatis et decreti infringere etc. Si quis etc.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno etc. MCCCCLXXXIII Septimo Kl. Julii, Pont. nostri anno primo.

*Gratis de mandato S.<sup>mi</sup> D. N. papae Collat. Phy. de Pontecurvo  
pro Registr. A. de Mucciarellis. N. Casanova.*